



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in judicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

**Schlüter, Georg**

**Augustæ Vindelicorum, 1708**

§. 12. De vacatione prioris beneficii per adeptionem secundi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](#)

## 82 Tract. in Lib. III. Decretal. Quæstio V.

*distinctis temporibus.* *w.* probabiliter affirmari cum Pirhing *cit. n. 138.* ubi talis consuetudo recepta est; modò neutra sufficiat ad sustentationem, quia sic nihil est, quod faciat incompatibilitatem, & cum habeant diversa onera, censentur beneficia *diformia*, de quibus à *n. 302.* Ex hoc deducitur, quod etiam Rector, seu Parochus alicujus Ecclesiae, prater suum beneficium Parochiale, seu curatum, simul retinere potest talem Capellaniam in eadem Ecclesiæ existentem; Sic Navarrus *l. 3. Consil. 16. n. 1. Consil. 22. n. 2.* addens, quod, *vi consuetudinis immemoralis*, possint quis etiam duas tales Capellaniæ in eadem Ecclesia retinere, una cum dignitate, vel officio modò dignitas, vel officium insufficiens sit ad honestam sustentationem.

337 Si autem quæras, 2. an liceat retinere simul plura beneficia simplicia, non exigentia residentiali personali? licet unum eorum sufficiat ad honestam sustentationem? affirmativam sequuntur Innocentius, & Rebuff, apud Pirhing. *n. 139.* sed negativa est verior spectato jure communii. Nam habentes plura beneficia, non necessaria ad vitæ sustentationem, sibi usurpant; & appropriant stipendia plurimum, occupant locum Clericorum pauperum instituendorum in illis beneficiis &c. sic Abbas in *c. cum jam dudum n. 8.* & in *c. extirpandæ*, §. qui vero, de *p̄ebend.* & probari potest ex *c. conquerente*, de *Cleric. non resid. ac Trid. sej. 24. de ref. c. 17.*

## §. 12.

*De vacatione prioris beneficij per adoptionem secundi.*

338 Ante resolutionem notandum, quatuor fuisse tempora prius, quam foret Concilium Tridentinum in quibus de beneficiorum pluralitate, concurrentia in eadem persona, actum est. Primum tempus erat ante CC. Lateranense sub Alexandro III. Secundum, tempus CC. Lateran. sub eodem Alejandro III. Tertium, tempus CC. Lateran. sub Innocentio III. Quartum tempus Constitutionis Extravag. Joannis 22. incipientis: *Execrabilis.* In primo tempore, *obtinens plura beneficia incompatibilia*, non perdebat ipso jure primum, adiectione secundi, nec ipso facto privabatur primo, si præsumere retinere secundum, sed in hoc casu dabatur ei optio,

unum retinendi, quod mallet, altero dimissio, ut constat ex *c. referente 7. de p̄ebend.* & consentit *c. præterea 14. cod.* hæc constitutio, seu dispositio loquitur generaliter de Ecclesiis. Unde Pirhing *de p̄ebend. n. 146.* docet, illam adhuc hodie locum habere posse in Ecclesiis, seu beneficiis non curatis v. g. duabus Canonicaribus, vel uno curato, & altero simplici, residentiam requirente, consequenter, cum utrumque retineri non possit, liberum manere beneficiato, unum, quod maluerit, retinere, dimissio altero, quia quoad hoc illi dispositioni per jura posteriora nihil est derogatum, quod videtur etiam procedere in casu, quo quis *simul*, ut non successivè, provisus est una dignitate, & una Parochiâ.

In secundo tempore nullus poterat re- 339 cipere diversas dignitates Ecclesiasticas, nec plures Ecclesiæ Parochiales, scilicet presentiam, seu officium Judicis privatus erat secundum dignitate, vel Parochiâ, & conferens, potestate conferendi pro illâ vice privabatur, ex *c. quia nonnulli de Cleric. non resid.* Et nota, quod hæc constitutio sit posterior illâ, quæ habetur in *c. referente*: in tertio tempore statutum fuit, ut, si obtinens aliquod beneficium Curatum, recipiat alterum etiam Curatum actu, *prius optento*, ipso jure sit privatus, & si hoc secundum cum priore retinere contendant, etiam secundo privetur, ut dicunt *c. de multa 26. de p̄ebend.* intellige, si utrumque retineat usque ad litis contestationem; ita Pirhing *n. 150. §. not. 3.* Deinde in eodem *c.* additur, quod de curatis beneficiis dictum est, similiter observandum esse de Personatibus, & dignitatibus, *maxime* in eadem Ecclesia, etiam si curam animarum non haberent, quamvis circa personas sublimes (intellige *illustres*, aut *nobiles*) & *literatas*, que majoribus officiis sunt honorandæ, ex justa causa per Papam dispensari possit.

Not. autem hic specificè agi de pluribus 340 beneficiis Curatis, Personatibus, & dignitatibus; unde jure communi habens curatum, & recipiens aliud non curatum, non amittit *ipso jure* primum, licet secundum cum illo foret incompatibile, quia, in *c. de multa*, non est sermo *generalis* de quibuscumque incompatibilibus, licet jure

jure novo Trid. *eff. 7. de reform. c. 4.* hæc constitutio extensa sit generaliter ad quæcunque beneficia incompatibilia, sic, ut nulla incompatibilias sine dispensatione Pa-pæ simul habeantur, quamvis, *quoad hoc, quod a deputatione secundi vacet ipso jure* primum, dictam constitutionem c. *de multa*, non extenderit generaliter, ut docet Pirhing *de præbend.* n. 149. cum Navarro l. 3. *Confil.* 17. eod. contra Garciam p. 11. c. 5. an. 83. Sed in hoc V. di-cta. Coeterum ipsi volunt, sue doctrinæ non obstatæ decretum Tridentini *eff. 24. de reform. c. 17.* statuens, ut hi, qui in præ-senti plures Patochiales Ecclesiæ, vel unam Cathedralem, & alteram Parochia-lem obtinent, unà tantum retentæ teneantur alteram intra sex menses dimittere; quia hoc decretum loquitur solum de plu-ribus beneficiis incompatibilibus, *obten-tis ante Trid.* non autem, obtentis, vel obtinendis post illud, de quibus loquitur decretum *eff. 7. c. 4.*

<sup>341</sup> In quarto tempore, vi Constitutionis Extravag. Joann. 22. quæ incipit *Execrabilis. de præbenda.* staturum est. 1. ut, qui tunc (nimurum eo tempore, quo hæc con-stitutio publicata est) obtinebant plures dignitates, Personatus, officia, Prioratus, aut beneficia, quæ aliæ sine dispensatione obtineri non poterant, unum tantum ex Ecclesiis, vel beneficiis hujusmodi, qui-bus cura imminent animarum, cum digni-tate, Personatu, officio, vel beneficio sine cura, quod habere maluerint, licet pos-sint retinere, sic tamen, ut ex illis unum cum cura, alterum sine cura, teneantur eligere intra mensem, computandum à tempore notitiae hujus Constitutionis, re-liqua vero non electa, qua obtinebant ex dispensatione, & aliter de jure licet ob-tineri non poterant, *ex tunc* (lapso scilicet mensi) vacare censeantur coram Ordinario, & ipsi in effectu dimittere teneantur, confecto adhoc Authentico instrumento, necad ea redire, aut eorum administratio-ni, sine nova collatione ab eo, qui poterat, facienda, se immiscere præsumant, alio-quin tam his (scilicet non dimissis) quam aliis (nimurum uno curato, & altero non curato) ipso jure sint privati, & ad similia beneficia obtinenda *pro rōs inhabiles* fiant.

<sup>342</sup> Statutum est 2. ut à prædictis excipiān. Tom. III.

tur Cardinales Ecclesiæ Romanæ, ac Re-gum Filii, propter *sublimitatem, & Clari-tatem generis;* 3. ut illi, qui juxta præ-sentem Constitutionem duo beneficia ex præhabitis sibi reservant, & ad alia similia beneficia, Authoritate Apostolicâ, grati-am exspectativam habent, possint, cum vacaverint, intra mensem, ea eligere & dimissis aliis in forma superius præscripta recipere, ac licet retinere, alioquin, si sectis egerint, poenas similes incursum, prout habetur *in cit.* Extravag. *Execrabilis* §. *per hoc autem*, hic.

Quarto, ut, qui plura hujusmodi be-neficia, sine legitimâ dispensatione retine-re possint, co tantum retento, quod ul-timo receperunt, si ex Canonica colla-tione jus iisdem competat, intra mensem, verbo, & facto, coram Ordinario reli-qua dimittant alioquin etiam ultimo ac-quisito, ipso jure, sint privati, & ad quæ-cunque beneficia Ecclesiastica obtinenda penitus inhabiles censeantur; Quinto, ut quicunque deinceps, dignitatem, Per-sonatum, officium, vel aliud beneficium, curam animarum annexam habens, re-ceperint, si antea simile obtinebant, il-lud (quo ipso jure post habitam posses-sionem secundi pacificam, vel si per eos ste-terit, quo minus haberent, sunt privati) *sine mora* in manibus Ordinariorum pari modo dimittere teneantur; aliæ & tunc sint etiam secundo, ipso jure, privati; & non tantum ad suscipiendos Sacros Ordi-nes, sed etiam ad obtinendum quocun-que beneficium Ecclesiasticum inhabiles.

Statutum est 6. ut omnia, & singula be-neficia vacatura, vel dimissa, Sedis Apo-stolicæ dispositioni sint reservata, ita, ut si quis quævis Authoritate, vel quocunque modo disponere attenteret, id irritum sit; Septimò explicat, per *Ordinarios* hic in-telligi *Episcopos* (vel Sede vacante, Ca-pitura) in quorum dioecesi sunt beneficia sic dimittenda, vel dimittentes; & statuit, ut de beneficiis tam dimissis, quam per-di-tis, Papam moneant, ut primum co mòdè poterunt, ut de illis disponat: Octavò deni-que dicit, per *beneficia curata*, quorum unū retinere potest cum alios sine cura, hic intelligi ea tantum, quæ Parochias habent, in quibus animarū cura, *non per Vicarios* *perpetuos*, sed per *Rectores*, aut Ministros beneficiorum, vel per *Vicarios illorū*.

L 2 tem-

*temporales* exercetur; & quorum Ministri ratione hujusmodi beneficiorum jus competit, visitandi, inquirendi, censuras ferendi, & ab illis absolvendi; aliis ramen juribus, quæ de cura animarum loquuntur, quoad cetera, in suo robore permanentibus. Hactenus Extravagans *Excrabilis*. Ethæc de diversis quatuor temporibus quoad pluralitatem beneficiorum.

345 Not. autem. 1. beneficium *curatum* dupliciter intelligi. 1. pro eo, quod habet curam animarum annexam. 2. largè etiam pro eo, quod habet annexam jurisdictionem fori contentiosi; & utrumque comprehendendi in prædictis ex priori numero. Not. 2. hanc constitutionem, in quantum pœnalis est, non habere locum in eo, qui legitime dispensatus obtinet plura beneficia, esto ea non canonice acceperit; quia loquitur de obtainentibus plura beneficia *sive dispensatione*. Not. 3. prædictam constitutionem, ex recepta jam consuetudine, non observari, quoad illud punctum, ut adeptus secundum beneficium, resignet prius habitum, *verbaliter*, *sub authentico instrumento* coram Ordinario; sed, sufficere, si realiter, & cum effectu primum, ejusque pensionem dimittat (Zerola in praxi Episcoporum V. *Beneficia*; ad 3.) sed absolutè, non in favorem tertii, vel causâ permutationis, aut reservatâ pensione, vel fructibus; quia, cum primum vacet ipso jure, dimissio illa solum spectat ad factum. Not. 4. quando diximus in n. priori, beneficia dimissa, reservari Papæ, hoc non intelligi de prioribus, quæ per adoptionem posteriorum vacant, ut dicitur *c. de multa*; sed solum de posterioribus, quæ propter illicitam retentionem prioris beneficii vacant vi Extravag. *Excrabilis*, ut dicitur *n. cit.* his præmissis.

346 Questio est; quæ conditions requirantur, ut primum beneficium vacet adoptione secundi incompatibilis? R. ut prius beneficium curatum, Dignitas, Personatus, vel etiam Officium (non, nudum ministerium, sed administrationem habens) vacet per adoptionem alterius similis, non sufficere, hoc *ipse esse collatum, & acceptatum*; sed requiri etiam *pacificam ejus possessionem*, vel saltem per eum stare, quo minus habeat. Ut diximus n. 325. ubi etiam exposuimus, quando quis censeatur habere possessionem pacificam.

R. 2. ut inducatur vacatio primi beneficii per adoptionem secundi incompatibilis, requiri 2. quod utrumque sit collatum *in perpetuum*, sive in titulum, sive in commendam, ut dicitur in Tridentino *sess. 7. c. 4. ibi*: sive per viam unionis *ad vitam*, seu commendæ *perpetuae*. Advertendum autem, esse plures casus, quibus primum beneficium curatum, Dignitas, aut Personatus non vacat etiam per pacificam adoptionem alterius similis primi, si facta sit dispensatio, retinendi utrumque, esto fortassis causa dispensandi non fuerit sufficiens; vel fuerit subreptitia; quia sic esset nulla, consequenter impotens inducere effectum vacationis primi, adoptione secundi. Secundo si quis reciperet beneficium secundum in calore iracundia circa debitam deliberationem; Tertio, si reciperet secundum factis prius expensis in primum ex bonis patrimonialibus: tertio si Superior Beneficiati nollet ratam habere collationem secundi.

Ex dict. colliges. 1. beneficia promoti 348 ad Episcopatum vacare, ubi confirmatus fuerit consecratus, & obtinuit pacificam possessionem Episcopatus c. *cum in cunctis. §. cum verò, de Elect. juncta gloss. V. Tempore & V. ad quem spectat*; quod verum est de omnibus, etiam simplicibus, imo & pensionibus; excipe nisi non perciperet fructus Episcopatus; 2. nisi sit mere titularis. 3. nisi sit pauper, vel debitibus gravatus. Notandum autem, esto per adoptionem Episcopatus vacent priora beneficia, per adoptionem tamen dignitatis, v. g. Abbatiae, non vacare Episcopatum, sic Abbas in c. cum in cunctis, *cit. n. 4.* quia in odiosis nomine generali *dignitatis*, aut *Personatus* non venit Episcopatus, ut dictum est superius.

Colliges 2. per adoptionem Cardinalatus non vacare priora ejus beneficia, nisi simul fiat Episcopus, sic Abbas in c. 53. de *Elect. n. 3.* & Layman *ibidem*. si petas, an ei de novo conferri possint ejusmodi beneficia? R. posse, si non exigant personalem residentiam, nam securus, eget dispensatione Papæ, ita Layman *cit.*

Colliges 3. beneficium simplex non vacare adoptione secundi similis, esto ambo residentiam exigant personalem, si caret fructibus ejus, in quo non residet, Abbas in c. fin. de *Cleric. non resid. n. 4.* quod à fortiori

tiori procedit, si ambo sint comparabilia ratione residentiae, si autem non sint comparabilia, non vacat quidem ipso jure, sed alterum, quod maluerit, dimittere debet, vi juris antiqui, ex dictis superiori.

Colliges. 4. recipiētēm tertium, vel quartum beneficium *qualificatum*, ipso jure amittere recepta, seclusa dispensatione, per Clement. § plures, de præbend. *juncta gloss. V. obtinens & V. dignitates.* Nec obstat, quod non praestet impedimentum, quod de jure non sortitur effectum iuxta regulam juris § 2. de Reg. juris in 6. at collatio tertii beneficii incompatibilis de jure non habeat effectum, seu non valeat: Respondetur enim priora non vacare in hoc casu ex valida collatione posterioris, sed ne sit melioris conditionis, qui acceptat *illicitam* collationem tertii, quam qui acceptat *licitam*, arg. c. *Eum qui de præbend. in 6.*

349 Quod attinet pluralitatem beneficiorum Regularium (quorum nomine hic intellige non tantum Abbatiam, Præposituram, Prioratum, &c. sed etiam Canonicatum Regularem, & Monachatum) ex dictis constat, a. n. 165. Monachis, & aliis etiam Regularibus interdictum esse, sine Authoritate Sedis Apostolicae, præseste pluribus Prioratibus c. *cum singula 32. de præbend. in 6.* quod verum est, etiam de non curatis gl. in cit. V. *Prioratibus & Coll. ex Clem. unic. de supplend. negl. Pralat. in fine*, & extenditur hæc constitutio, ut procedat, licet illa beneficia sint in diversis Monasteriis ut dicitur c. *cum singula §. prohibemus.* Hinc nulla Superioris Monialium duobus Monasteriis præfesse potest, & si quæ præfesseret, intra sex menses, uno tantum retento, cetera resignet: Trid. cit. ubi etiam declarat notanter, id procedere in Monasteriis Canoniconum Regularium, sublatâ etiam immemoriali consuetudine; secūs, omnia vacant, iure. Sed de his V. dicta a. n. 165.

350 Et ideo, qui Religioso habenti Prioratum, vel Ecclesiam curatam, aut administrationem in uno Monasterio, contulerit, contra dictam prohibitionem, aliud beneficium alterius Monasterii, vel collatum reliquerit, eā vice potestate ordinandi, seu committendi, in poenam, est privatus, & eā in Monasterio non exemplo ad Ordinariū, in exempto, ad Papam (vel Lega-

tum de latere, si sit in provincia) devolvitur, & Monachus aut Monialis contra hanc constitutionem, Prioratus, Ecclesiæ, Administrations, vel Officia alieni Monasterii suscipere, aut suscepere retinere præsumens, ipso jure ineligibilis redditur, ita c. *cum singula §. prohibemus, de quo n. 165.*

Not. autem predictam dispositionem de Monachis, extendi etiam ad Clericos, seu Canonicos Regulares, quod neque ipsi possint esse profesi, vel habere beneficia, & officia in diversis beneficiis, Ecclesiæ, vel Monasteriis, etiam ejusdem Ordinis. Rationem dat Navarrus in *Comment. 3. de Regularibus n. 41.* ubi tradit hanc regulam, quod ea, *qua juri communis statuantur de Monachis*, quamvis alioquin odiosa sint, vel poenalia, etiam de *Canonicis Regularibus*, aliisque Religiosis statuta censcantur, si in iisdem eadem ratio locum habeat, qualiter contingit in praesenti, quia Canonicci Regulares æquè, ac Monachi, professionem edunt *ad similem locum*, & in Monasteriis suis jus Collegii, & cuiusdam beneficii obtinent.

### §. 13.

*Quis possit dispensare in pluralitate beneficiorum.*

D E summo Pontifice non est dubium, 351 potissima questio est, de aliis Papa inferioribus. Questio igitur est, quid in hoc possit Episcopus? R. quod Episcopus *spectato jure communi* dispensare possit primò, ut quis simul obtineat duo beneficia simplicia v. g. duos Canonicatus, vel duas Capellianas in diversis Ecclesiis; Fagnanus in c. *cum jam dudum. de præbend. n. 47.* Secundò, duo beneficia simplicia, sed dissimilia, etiam in eadem Ecclesia, sic Azor p. 2. l. 6. c. 12. q. 6.

Verum, post Tridentinum, mox citoandum, non potest dispensare, ut quis habeat duo beneficia simplicia v. g. duos Canonicatus, in diversis Ecclesiis, & ideo dixi *de jure communi*, intellige, si primum sit sufficiens ad decentem sustentationem, secūs est, si primum sit insufficiens. Tunc enim Episcopus potest dispensare, ut retento primo, recipiat aliud in diversa Ecclesia ex se sufficiens, modò residentiam non exigat, ita Trid. *sess. 24. de refor. c. 17.*